

GRATULATIONES

*Vera pietatis, liberaliorisq; doctrina*

*viro-juveni*

PAVLO POLMANNO PLAVIA-VOIT-  
LANDO, CUM IPSI IN INCLUTA FLO-  
rentissimaque VVitebergensium Academia;

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

*Reverendissimo Celsissimoq; Principe*

*ac Domino*

DN. AVGVSTO,  
DVCE SAXONIÆ, LANDGRAVIO  
Thuringiæ, Marchione Misniæ, Episcopatus  
Naumburgensis & Zizensis Postulato Ad-  
ministratore

PRO-RECTORE MAGNIFICO

*Viro Reverendo atque Excellentissimo:*

DN. LEONHARTO HVTTERO, S.S.

Theologiæ Doctore, hujusdem Professore Ordinario, & Alum-  
norum Electoralium Ephoro vigilantissimo.

DECANO SPECTABILI

*Clarissimo Doctissimoq; Viro,*

DN. LAVRENTIO FABRITIO, BONARVM

artium Magistro, sanctæ linguæ Professore Publico, Collegij  
Philosophici seniore dignissimo.

*Summus in Philosophiâ gradus publice & solenniter VVitebergæ  
conferretur à d. 14. Kal. Aprilis,*

An. In Carnationis Domini  
*ex patria transmissa*

*Mecœnate, fratre germano, civibus & amicis.*

VVITEBERGÆ, excudebat Iohan: Schmid, Anno 1605.

Biogr. erud.

1644, 40

*Vitt. Gundling - Vol. Pn - Rom*



I.  
PAVLO POLMANNO, PLAVENSI  
Philosophiæ Candidato dignissimo  
S. D.

**P**AVLE, quod Aonias didicisti sedulus  
artes

Quod perrexisti studijs incumbere, magno  
Sudore, & solide rerum: flagrantior, amplam  
Noticiam acquisivisti: pol nobile factum.  
Inde bona POLLES virtute, & digna capeſſis  
Præmia, quæ Proceres VVitebergæ fronte serenâ  
Decernunt tibi doctrinâ & pietate probato.

Macte igitur, gaudens gaude POLMANNE,  
triumpha

Felix Parnassi prædura cacumina montis  
Tangere cœpisti: non desine, fortius urge  
Gressum, sic olim maiora brabea sequentur.

Certæ erga Candidatum benevolentia con-  
testandæ causa deproperabat Plaviæ

Matthias Hoe S. Theol. D. ibidem P.  
& Superattendens.

Fratri



## FRATRI MEO GERMANO, UNICE CHARO.

NVllus amor famæ, studium aut contentio hono-  
rum

Siccinè laudatur? num decus omne malum?  
Non reor inter enim bona quæ Deus alma ministrat  
Corporis aut sortis maius HONORE nihil  
Ergo ut nequaquam præsentis commoda vitæ  
Oblata ingrato spernere corde licet;  
Sic non per gratam famam, nomenque celebre  
Temnere concessum est, res bona laus & honor.  
Egregiam in primis laudem Respublica poscit  
Debetur Ducibus gloria magna pijs  
Non hortatores numero comprehendere fas est  
(Sive hi sacra iubent sive profana docent)  
Omnes; ad celsum veri qui culmen honoris  
Nos positâ inflammant utilitate gravi.  
At contemnentes iustæ præconia laudis  
Et famæ oblitos, iudicioque leves  
Acriter ob segnem fastum nimiumque reprêndunt  
Crudelesque sui nominis esse ferunt.  
Vita est ipse honor, mors est infamia, leto  
Malo perire malo, quam malè luce frui.



Et cur non laudis cupidi miremur honorem  
A virtute ortum cum trahat ille suum?  
Præmia nam recti, decor & præconia clara,  
Inde bonis meritò gloria digna venit.  
Improbis iccirco non fiet, docta brabea  
Adfectans; famæ consulit ille suæ.  
Artibus ingenuis laus est alimonia suavis,  
Et generosa movet corda cupitus honor.  
Sive potens igitur fidos Respublica cives  
Aut florere artes ampla Lycæa velint:  
Gnavus ut in studijs, labor & vigilantia flagrans  
Ut virtus vigeat cum pietate proba  
Ornamenta adlint decora & collata gradatim  
Præmia, laus & honor promeritusq; favor.  
Hinc celebres gratos quos dat tibi Phœbus honores  
Paule: quia offertur clarus ab arte gradus  
Hoc titulo gaude, lætare & munere tanto  
Castalidum studijs invigilaq; magis  
Vive diu, atq; benè, & spartâ quam es nactus, adorna  
Sic tibi post mortem fama superstes erit  
Non tibi tempestas sortis, rerumq; procella  
Nobile Phœbei turbet honoris iter.  
Gargara quot segetes gignunt sua vilsime frater  
Tot tibi fraternâ commoda mente precor.

*Ioannes Polmannus.*

*Paulus*



III.

PAVLVS POLMANVS

ἀναγραμματισθεῖς:

NON PLVMA PLAVSVS

**N**ON PLVMA PLAVSVS captatur: plausus honorum

Non venit è plumis, sedulitate venit.

Haud deses propter virtutum præmia plaudit

Ignavo nunquam parta corona datur.

Quisquis es, & laudum gaudes acquirere plausus

Ne renuas quo vis aspera ferre die.

Sic quoq; NON PLVMA PLAVSVS, Polmanne reportas

Promeruit studium tanta brabea tuum.

Plaude una tecum cognati sanguine plaudent

Dum capiti imponitserta MINERVA tuo

Sit tibi, sitq; tuis felix hic plausus honorum

Perge Deus plausus tempore plura dabit.

M. Casparus Schalthes Plavensis

scholæ patriæ supremus.

IV.

*Ad Ornatissimum ac Doctissimum*

Dn. PAULVM POLMANNVM intra breve temporis

spaciolum summo in Philosophiæ gradu ornandum

hosce scribo phaleucos.

**R**Ebus nomina sæpe convenire

Haud fallax ἀπόδειξις, anne plenâ

Quod sic dicitur, it manu probatum



Hoc ipsum dubium? reor, loquatur  
 Quum res ipsa studens thesin tueri  
 In victâ ratione, respicientem  
 Doxas plausibiles, & exigentem  
 Veraces *δογματεις*. Sed unde quaeso  
 Adsertum ordiar? est mihi lubido  
 Suspensis reliquis, amice, nomen  
 Baptismus tibi quod dedit, parensq;  
 Non falsâ trutinare lance, at æquâ  
 Iam nunc *εν παρόδω* tuum. Quod autem  
 Est nomen tibi? nonne PAVLO? opinor:  
*Απαυλι* quia (voculæ quietem  
 Quævis arguit) iste Paulus ortum  
 Traxit. Proin retines vel illud omni  
 Nomen jure: quietus atque pacis  
 Almæ quod studiosus es, recessus  
 Imos quod Sophiæ labore tristi,  
 Iugi, incommoda sulque deq; habendo  
 Non nutante animo. Tuo hinc brabeum  
 Pro sudore capis, venusta Phœbi  
 Docti progenies, sat inclutum, sat  
 Iustum: Palladis artibus labores  
 Collatos superet tuos honesta  
**I**n tali studio quies petita  
 Dudum. Macte animo! tibi hocce Paule  
 Nomen non tribuit volubilis fors.

Verum



Verum quid sibi, quis rogare pollet  
Cognomen, genitor tibi reliquit  
Quod denatus? & id subindicare  
Magnum quod videor mihi. Nec erro  
Errorem: quoniam vocare POL. *Miam.*  
Quæ vox iuxta etymon virum carentem  
Nævis exprimit. Atque talis es tu  
Nam virtute tuâ politioem  
Doctrinam facis, Ergo id est ne verum:  
Rebus nomina sæpe convenire?

Ad summam tibi de novello honore  
Gratans adprecor, ut diu quietus  
Et Iovâ duce, vir bonus manere  
Possis, quo segetes feras bonorum  
Prælargam Patriæ, omne cui, Sophorum  
Clarorum putat ut caterva, debes.

*M. Zacharias Volrab Plavensis, Scholæ Leuts-  
hoviensis in superiori Ungaria antehac Rector,  
nunc vero temporis ob Romanensium savitiam  
in patriâ commorans.*

*v.*

**F**ratris, Paule, tui designat epistola, scriptis  
De quo debueram certior esse tuis  
Leucoreas offerre tibi sua symbola Musas  
Et summum Soplizæ participare gradum.

*A 4*

*Suadet*



Suadet amor, candorq; magis ni ve candidus ipsa  
In Polmanni animo quem residere scio,  
Hosce novos titulos celebrem laurumq; Magistrum  
Attribuit largâ que Deus ipse manu.  
Hæc instar cotis mentem virtute politam  
Artibus & varijs exacuisse queunt.  
Acris quo per se maiores aggrediatur  
Adiutus titulos numine rite sacro  
Sed quid plus referam, nil non laudabile tentet  
Quo sibi, quo Patriæ seruiat atque suis.  
Quantum nunc grater tibi Paule creande Magister  
Osibus in teneris ima medulla capit.  
Debita Musarum hæc ut sint tibi præmia ad omnes  
Æterni seculi prævalitura dies.  
Sitq; tibi precor ut summi tutela Iehovæ  
Atq; ut cœpisti sic bene semper eas.

M. Georgius Hendelius Adorfensis  
Scholæ patriæ Rector.

VI.

Quid sibi Musarum concursus? quidve caterva  
Spectantis populi splendida quæso notat?  
Præmia forte suis decernit Apollo ministris  
Digna? Magisterij nomina magna refer.  
Sic est. In numero hoc Polmanum cerno. Quid ille?  
Digna suis studijs præmia iusta capit.

Ne



Ne te pœniteat tanti, Polmanne, laboris  
Laurea ferta tuo digna labore capis.  
Ingenio clarum reddi, & virtutibus auctum  
Supremæ titulos, laudis honoris habet  
Vnde novos, Polmanne, tibi congrator honores  
Quos prodesse Polo det Deus atq; solo.

*Ioannes Heldius Plaviensis Scholæ pa-  
triae collaborator.*

VII.

**N**onne bonis a vibus nobis novus annus inivit?  
Laurea ferta Tibi, Sponsa pudica mihi?  
Laurea ferta tibi, grator titulumq; Magistri  
Quem doctrina, tuus promeruitq; labor.  
Ast hic teq; tuosq; beet. Veteri accipe vultu  
Paule meum votum per breve quaeso, V A L E.

*Tobias Pezelius Plaviensis  
Voitlandus,*

IX.

**E**st aliquid titulum Sophiæ meruisse per artes:  
Maius honore novum posse tenere gradum.  
Qui probe utrumq; tenet, laudi huic diadema Ma-  
gistri est  
Qui minus, huic fit honos intolerabile onus  
Cautè igitur P O L M A N N V S, emit non ære sed arte  
Pro titulo sudor post tenuisse labor.

*Georgius Tauth Plaviensis Voitlandus.*



**P**ost varios veluti ventisq; marisq; labores  
 Navita scit casus commemorare suos.  
 Fortis & ut miles postquam devicerit hostem  
 Præmia digna capit: Gaudia mente fovet  
 Gaudia, Paule, foves sic post diuturna laborum  
 Pro sudore capis præmia grata tuo  
 Recte equidem. Quis enim ingenuas addisceret artes  
 Si sine sat largo munere Phœbe fores?  
 Sic decet & par est, sic stat sententia Divûm  
 Dignus ut emeritis contribuatur honos.  
 Ergo age Paule, novo (quod gratulor) utere honore  
 Quodq; precor, vertant Dij bene cæpta Tibi.  
*Vitus Hendelius Adorfiensis.*

**N**unc auctore Deo tandem nancisceris almo  
 Polmanne insignis terta Magisterij  
 O merito merito (nulli quid derogo) certè  
 Si quisquam hoc magno dignus honore fores.  
 Ast honor unde venit? stertenti laurea nulla  
 Fortè laboranti laurea vera datur  
 Magnus honor veniet magno sudore paratus  
 Verùm desidiam præmia nulla manent.  
 Cum virtus teneat vera inde locum atq; paretur  
 Laurea sic, PAVLE en, laurea vera tua est  
 Ut Deus omnipotens vere tua cæpta secundet  
 Gratulor, & nomen crescat honorque precor.

*David Groh Plaviensis.*

*Lauden*



**L** Audentur meritò, meritò extollantur honorum  
 Qui sic perpetuos invenere gradus;  
 Artibus his regitur quis curia, templa, domusq;  
 Ut sua constarent premia laus & honos.  
 Adde quod & quosvis artis vitæq; carentes  
 Testibus haud deceat munus adire scholæ  
 Iure hinc Romani quondam dixere, quod ullus  
 Non nisi cui dux det munus in urbe gerat.  
 Nec tamen hæc dantur cunctis absque ordine sed quos  
 Mores, ingenium, dexteritasq; probant  
 Rara sed hoc seculo (dictu miserabile) pubes  
 Artes has curâ fervidiore colit.  
 Artibus his potius mentem studet addere, lucra  
 Cultori, spondent quæ manifesta suo.  
**PAULE** est Tu contra nullos fugiendo labores  
 Pieridum es solitus dulciter castra sequi  
 Hinc merito Phæbus primis te adamavit ab annis  
 Hinc Muse studiis te excoluere suis.  
 Nunc te Philosophum dignum sacer ipse senatus  
 Solemni hac pompâ ducit honore novo.  
 Phæbea lauru, mitra, rutilante corolla  
 Condecoratq; caput condecoratq; manum.  
 Proclamat clarâ Sophia te voce Magistrum,  
 Dat spartam virtus quam tibi sola parat.  
 Ergo Paule novum verè tibi grator honorem  
 Quem certe ardenti sedulitate capis.  
 Apprecor ut maneat tua laus dum sidera durant  
 Et vigeat laurus dum vehit Albis aquas:  
 Apprecor ut veniant tibi plurima commoda post hæc  
 Et superes longos Nestoris ipse dies.

Jeremias Pinzelius Brembachensis Variscus.

Quando



Quando tibi Pallas sua splendida, Patruæ, honoris  
 Signa offert, studijs præmia digna Tuis  
 Et benè linguarum gnarus, Sophia Magister  
 Ore salutaris molliter assiduus.

Ecce, ego congaudens tacitus, Tibi prospera quæq;  
 A CHRISTO, tenero pectore & ore precor.

Exoptans laus hæc, titulus, nomenq; celebre  
 Numinis in laudem cedat ubiq; sacri.

Et quia sic decoras nostrum virtute fideq;  
 Arte atque ingenio stemma genusq; probe

Dî faxint, longo censeris sanguine possis  
 A natis, gestans parva brabæa diu.

*Christianus, Ioannis F. Polmannus P. V.*

ἡγεμονιστικόν

LVX oCrona niter Martis ter, qVina trahat Vr  
 PaVLe, noVâ Vt LaVro Cingit ApoLLO CapVe

ter. P. B.

F I N I S.